

Die 3 Ianuarius

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS

ECCLESIAE CONCATHEDRALIS DE SS. NOMINE

IESU Festum

Ant. ad introitum

Phil 2. 10-11

In nómine Iesu omne genu flectátur cæléstium et terrés-
trium et infernórum et omnis lingua confiteátur «Dóminus
Iesus Christus!» in glóriam Dei Patris.

vel:

Apoc 21. 2

Civitátem sanctam, Ierúsalem novam, vidi descendéntem
de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

Collecta

Deus, qui pópulum tuum Ecclésiám vocáre dignátus es,
da ut plebs in nómine Iesu congregáta te díligat,
et ad Ierúsalem cæléstem, Christum sequéndo, pervéniat.
Per Dóminum.

Quando hoc festum extra dominicam occurrit, ante Evangelium una
tantum ex sequentibus lectionibus eligitur.

LECTIO PRIMA (propr.)

« Non est aliud nomen, in quo oporteat nos salvos fieri. »

Léctio Actuum Apostolorum

4. 8-12

In diébus illis :

Replétus Spíritu Sancto Petrus dixit : « Príncipes pópuli

et senióres, si nos hódie diiudicámur in benefácto hóminis
infirmit, in quo iste salvus factus est, notum sit ómnibus vobis
et omni plebi Israel quia in Nómine Iesu Christi Nazaréni,
quem vos crucifixístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, in hoc
iste adstat coram vobis sanus.

Hic est lapis qui reprobátus est a vobis ædificatóribus,
qui factus est in caput ánguli. Et non est in álio áliquo
salus, nec enim nomen áliud est sub cælo datum in homíni-
bus, in quo opórtet nos salvos fieri ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 83, 3. 4. 5. et 10. 11 (R. 2 vel Apoc 21,3b)

R̄. **Q**uam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum.

vel: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus.

- 1 Concupiscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea exultavérunt in Deum vivum. R̄.
- 2 Etenim passer invénit sibi domum,
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos :
altária tua, Dómine virtútum, rex meus et Deus meus. R̄.
- 3 Beáti qui hábitant in domo tua,
in perpétuum laudábunt te.
Protéctor noster, aspice, Deus,
et réspice in fáciem Christi tui. R̄.
- 4 **Q**uia mélior est dies una in átriis tuis super mília,
elégit ad limen esse in domo Dei mei,
magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. R̄.

LECTIO SECUNDA (propr.)

« *Donavit illi nomen quod est super omne nomen* »

Lectio Epistolæ beati Páuli apóstoli ad Philippenses 2. 6-11

Christus Iesus, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitrátus est esse se æquálem Deo, sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo, humiliávit semetípsum factus obœdiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Propter quod et Deus exaltávit illum et donávit illi Nomen quod est super omne nomen, ut in Nómine Iesu omne genuflectátur cælestium et terréstrium et infernórum et omnis lingua confiteátur « Dóminus Iesus Christus! » in glóriam Dei Patris.

Verbum Dómini.

ALLELUIA

Act 4. 12

(R̄. Alleluia) V̄. Non est áliud nomen sub cælo datum in homínibus, in quo opórtet nos salvos fieri.

(R̄. Alleluia.)

EVANGELIUM (propr.)

« *Vocabis nomen eius Iesum* »

✠ Lectio sancti Evangélii secúndum Mattæum 1, 18-25

Cum esset desponsáta mater Iesu María Ioseph, ántequam convenirent invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimittere eam.

Hæc autem eo cogitánte, ecce ángelus Dómini appáruit in somnis ei dicens : « Ioseph fili David, noli timére accíperere Mariám cóniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Páriet autem filium, et vocábis nomen eius Iesum : ipse enim salvum fáciat pópulum suum a peccá-tis eórum ».

Hoc autem totum factum est, ut adimplerétur id quod dictum est a Dómino per Prophétam dicentem : « *Ecce virgo in útero habébit et páriet filium, et vocábunt nomen eius Em-mánuel* », quod est interpretátum « *Nobiscum Deus* ».

Exsúrgens autem Ioseph a somno, fecit sicut præcépít ei ángelus Dómini, et accépit coniúgem suam, et non cognoscébat eam donec péperit filium : et vocávit nomen eius Iesum.

Verbum Dómini.

Super oblata

In eius nómine, Pater omnípotens,
múnera nostra dignáre suscipere,
in quo quidquid petiérimus
nos certe consecutúros esse confidimus,
ipso Filio tuo benigníssime pollicénte.
Qui vivit.

Praefatio

V̄. Dóminus vobiscum.
R̄. Et cum spiritu tuo.
V̄. Sursum corda.
R̄. Habémus ad Dóminum.
V̄. Gratias agámus Dómino Deo nostro.
R̄. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre,
nos tibi semper et ubique grätias ágere :
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus :
Qui domum oratiónis muníficus inhabitäre dignáris,
ut, grátia tua perpétuis fovénte subsidiis,
templum Spiritus Sancti ipse nos perficias,
acceptábilis vitæ splendóre corúscans.
Sed et visibilibus ædificiis adumbrátam,
Christi sponsam Ecclesiám perénni operatióne sanctíficas,
ut, innumerábili prole mater exsúltans,
in glóriam tuam collocétur in cælis.
Et ideo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicétes :
Sanctus . . .

In ipsa Ecclesia concathedrali, semper dicendæ sunt tres lectiones quia est sollemnitas et dicitur sequens præfatío :

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre,
nos tibi semper et ubique grätias ágere :
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus :
per Christum Dóminum nostrum.
Quia in domo visíbili quam nobis exstrúere concessisti,
ubi familiæ in hoc loco ad te peregrinánti favére non désinis,
mystérium tuæ nobíscum communiónis
mire figúras et operáris :
hic enim tibi templum illud quod nos sumus ædificas,
et Ecclesiám per orbem diffúsam
in domínici compágem córporis facis augéri,
in pacis visióne compléndam, cælésti civitáte Ierúsalem.
Et ideo, cum multítudine órduum beatórum,
in templo glóriæ tuæ, te collaudámus,
benedícimus et magnificámus, dicétes :
Sanctus . . .

Ant. ad communionem

I Peter 2, 5

Tamquam lápides vivi superædicámini domus spiritális in sacerdotium sanctum, offerre spiritáles hóstias acceptábiles Deo per Iesum Christum.

Post communionem

Tua nobis, quæsumus, Dómine, miseratióne concéde,
ut in his sacris mystériis
Dóminum Iesum dignis obséquiis venerémur,
in cuius nómine voluísti omne genu flecti,
omnésque hómínes inveníre salútem.
Per Christum.